

æquinoctialem cum aquilæ cauda iungat. Occidens autem exortu geminorum Cancri & leonis peruenit ad terram, exoriens autem cum scorpione & sagittario apparet. Hic habet in capite stellam unam, in utroque humero singulas, in sinistra manu tres, in dextra manu quatuor, in lumbis duas, in utroque genu singulas, in dextro crure unã, in utroque pede singulas, sed clariorem in dextro, itaque est omnino stellarum numerus sexdecim. Anguis autem habet in summo capite stellas duas, sub capite tres uno loco omnes, ad manum ipsius Ophiuchi sinistra duas, sed quæ maxime ad corpus eius accedit clariorem. Et in dorso anguis ad ipsam corporis coniunctionem quinque, & in prima curuatura caudæ quatuor. In secunda, caput uersus, habet stellas sex. Ita est omnino stellarum numerus xxxiii.


Sagitta.

♃

In sagitta, una est quartæ magnitudinis, tres quintæ & una sextæ.



Sagitta inter duos circulos æstiuum & æquinoctialem, signo aquilæ superposita, diuiditur ab eo circulo qui utroque polo subiectus ad cancrum & capricornum peruenit, huius cacumem ad equipedum regionem spectat, altera pars ad humeros Ophiuchi tendit, hæc occidit Virginis ortu. Oritur autem cum scorpione. Habet omnino stellas quatuor, quarum una in principio materiæ, altera in medio, duæ reliquæ in eo loco quo ferrum solet affigi diuersæ uidentur.



♃

Aquila.

Aquila unam habet in capite secundæ magnitudinis, atque unam inter duas spatulas eiusdem magnitudinis, duas in spatula sinistra tertie magnitudinis, atque unam super collam secundæ magnitudinis, reliquæ sunt quintæ magnitudinis.



Aquila ala dextra non multum extra circulum æquinoctialem prodire, sinistra autem non longe à capite Ophiuchi figurata uidentur. Præterea rostrum eius à reliquo corpore diuidit circulus quem supra diximus à cancro ad capricornum peruenire. Media autem finitur ab eo quem supra Lacteam orbem demonstrauimus esse, hæc exortu leone occidit. Exoritur autem cum capricorno: habens in capite stellam unam, in utraque penna unã, in cauda unã. Itaque omnino sunt quatuor.



♂

Delphin.

Delphin habet quinque stellas tertie magnitudinis, unã scilicet in cauda, & reliquas in lumbo. Habet etiam duas quartæ magnitudinis in cauda, reliquæ sunt sextæ magnitudinis.



Delphin non longe ab aquilæ signo figuratur, in curuaturæ caudæ nouissimæ æquinoctialis circuli circūductione tangit, capite prope contingens equi Pegasi rostrum, hic exoritur cum sagittario.



h 3 rii po